

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis, Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis & Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Casus XX. De actione, à qua quis abstinere debet, ut evitet scandalum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**

vel religiosus ad frequentes fractiones disciplinæ, peccaretur mortaliter, quia paulatim erit morale periculum vel gravioris peccati vel notabilis damni in disciplina monastica.

## C A S U S X X .

De actione, à qua quis abstinere debet, ut evitet scandalum.

Item de cooperatoribus ad peccatum alienum.

**V**alentia dubitat 1. An ad vitandum lapsum proximi teneatur abstinere ab opere licito vel praecepto. 2. 3. An liceat alterius peccato cooperari. 4. An puella possit converjari cum adolescente, à quo turpiter amat. 5. 6. Quid de muliere nimium se ornante, &c. 7. Quid de Choreis. 8. An liceat scribere vel portare litteras sollicitantes ad peccatum. 9. An ferre vel acceptare munera ad malum finem. 10. 11. Quid de vendente fucos mulieres, gladios, chartifolia, venena, &c. 12. Quid de famula subserviente Dominae fornicatur. 13. An peccet matrimonium contrahens cum peccatore vel voto obstricto. 14. Vel Sacra menta petens ab excommunicato. 15. An possit reddi debitum coniugi contra votum petenti. 16. An recipi fures, meretrices, aut iis domos locari. 17. An carnes vestitas apponere. 18. An Hereticis arma vel victualia advehere, cuniculos fodere, &c. 19. An pro hoste patriam occupante tributa exigere, subscribere. 20. An mutuo dari pecunia ad usuram, injustum bellum, &c. 21. An juvare Iudaos vel Hereticos in edificiis suis templis? Pro resolut.

QUÆR.

I. QUÆR. I. An & quæ actiones omitti debant in ordine ad evitandum proximi scandalum?

R. I. Ad evitandum proximi peccatum est obligatio aliquoties abstinenti ab opere lictio, non præcepto, si quis commodè possit: sic mulier, quæ novit se turpiter amari, si timeat, ex suī conspectu alium in turpia desideria lapsurum, tenetur aliquoties manere domi, & suī conspectum subtrahere, non tamen semper, ut habet communis; hoc enim foret nimis durum, & charitas non obligat impedire peccatum proximi cum gravi incommmodo, cùm se ipsum juvare posset, si vellet, peccat enim liberè.

R. II. Si opus sit præceptum, v. g. auditio Missæ die festo, & mulier in casu posito possit scandalum impedire, sacrum alibi vel alio tempore audiendo, se velando, &c. ad hoc tenetur, ut apud omnes est in confessio. Si verò id non possit, an tenetur manere domi? affirmant DD. communius: quia, ubi concurrit lex naturalis & divina charitatis cum lege Ecclesiæ, & utraque servari non potest, obligat sola lex charitatis. *Contra Castrop. Hennο & alii dicunt*, quòd mulier tali casu quidem possit manere domi, eò quòd prudenter præsumat de consensu Ecclesiæ; attamen eam ad id non teneri cum jactura sacri, quia scandalum est merè passivum ex sola peccantis malitiā, non verè activum: at non videntur in hoc loqui satis consequenter; si enim die feriali teneatur una & altera vice abstinerè à sacro, ut impedit alterius malitiam, cur non in die festo, si Ecclesia consentiat, aut non obliget? neque hoc est perdere meritum Missæ, sed in melius mutare.

QUÆR.

QUÆR. II. An & qualiter alterius peccato 2.  
cooperari liceat?

¶. Nunquam licet cooperari per actionem,  
quæ proximè & directè influat in alterius pec-  
catum , qui enim sic concurrit , reipsâ vult  
ipsum peccatum ; *Licebit tamen ex rationabili  
causa , & metu gravis incommodi ponere actio-  
nem de se bonam vel indifferentem , ex qua re-  
motè & præter intentionem prævideatur proximi  
peccatum :* Est Regula certa ab omnibus rece-  
pta ; sed, quænam actio proximè, vel remotè hic  
& nunc ad alterius peccatum concurrat , diffi-  
cillimum est judicare , maximè post prop. 51.  
ab Innoc. XI. damnatam , quæ sic habet : *Fa-  
mulus , qui submissis humeris scienter adjuvans  
herum suum ascendere per fenestras ad stupran-  
dam virginem , & multoties eidem subservit , de-  
ferendo scalam , aperiendo januam , aut quid si-  
mile cooperando , non peccat mortaliter , si metu  
notabilis detrimenti id faciat , putà , ne à Domino  
male tractetur , ne torvis oculis aspiciatur , ne do-  
mo expellatur . Ex hac damnatione constat , quòd  
actio de se indifferens , & remotè tantùm ad  
peccatum adjuvans , ut aperire januam , defer-  
re scalam , &c. ex circumstantiis possit adjuvare  
proximè , ideoque fieri omnino illicita ; hæ au-  
tem circumstantiæ in propositione damnata  
sunt : 1. Quòd fiat *scienter* , seu à sciente , quòd 3.  
herus velit inferre stuprum ; nam in dubio he-  
rus non præsumitur malus , adeoque nec erit  
illicitum ejus mandatum exequi. 2. Quòd fiat  
*multoties*. 3. Quòd fiat *ex insufficienti causa* ,  
qualis est semel vel bis à Domino percuti ,  
torvis oculis aspici , è domo expelli ; an autem  
ejusmodi cooperatio famuli saltem liceat metu  
mali*

mali gravissimi, mutilationis, vel mortis, non est certum; meritò id negat *La Croix l. 2. n. 254.* Viva *opusc. 1. q. 4. a. ult.* Quia cooperatio ex circumstantiis directè & proximè tendit in peccatum, ideoque est intrinsecè mala, nec ex ulla circumstantia honestari potest, per quas autem actiones in particulari, & quibus ex causis ad alterius peccatum cooperari liceat, non potest certâ regulâ definiri; quæ probabiliora sunt, dabunt resolutiones seqq.

4. 1. Puella nesciens, aut negativè dubitans, an ab adolescentे turpiter ametur, potest eum ex rationabili causa ad alloquium de se honestum admittere; quia in dubio adolescens deber præsumi bonus: quod si ex moribus adolescentis, vel ex clandestinitate alloquii (ut fieri afolet) prudenter timeat in se vel in adolescentे turpes cogitationes, motus, affectus, vel actus, peccat mortaliter eum admittendo: à potiori hæc tenent de osculis & amplexibus turpibus, quamvis ipsa in illa non consentiret, modò possit sine gravi incommodo vel infamia adolescentis (ut plerumque potest) impedire; nam hæc magis sunt periculosa & multò magis excitant ad Venerem; familiarior tamen conversatio vel amplexus honesti inter sponsos de futuro ad conciliandum vel conservandum honestum amorem in ordine ad matrimonium non sunt peccatum saltem mortale, etiamsi prævideantur motus turpes, modò non intendantur, & absit periculum consensūs.

5. 2. Puella se ornans convenienter statui, ut honestè placeat, & habeat honestos procos, non peccat: imò & cultus superfluuus de se tantum venialiter malus est; si tamen sciret aliquem

quem in particulari ex suo ornatu lapsurum, teneretur unâ aut alterâ vice ab ornatu etiam honesto, citra tamen grave incommodum, abstinere: si per ornatum intendat placere turpiter amanti, vel in ejus gratiam se ornet, etiam si ipsa cum turpiter non amet, tamen peccat mortaliter; idem est, si à turpiter amante sine necessitate admittat compressiones manuum, nutus furtivos, multò magis, si similia reddat, tunc enim turpem amorem approbat, fovet, excitat. Eadem est ratio, si data operâ se conspiciendam sistat vel occurrat turpiter amanti; secūs, si casu vel etiam ex justa causa in ejus conspectum veniat, ne scilicet longo tempore privetur libertate exeundi, è fenestra prospiciendi, &c.

3. Mulier adhibens ornatum de se scandalosum, ut notabilem denudationem pectoris, peccat mortaliter, nec absolvî potest, nisi dimittat; nam, si verba turpia coram pluribus prolata, aut etiam pictura venerea publicè exposita communiter reputantur mortale ob periculum scandali in uno vel altero, quomodo non erit mortale talis denudatio, quæ magis ad Venerem provocat, quam verba aut pictura? caveant igitur ab his nuptæ & innuptæ, ne fiant rete diaboli ad illaqueandas animas. Fœmina utens fuso, capillis appositiis, vestibus peregrinis, seu novam formam inducentibus, aut supra suam conditionem pretiosis, et si hic sit magna vanitas & peccatum superbiæ, si tamen absit animus libidinosus, periculum scandali, dilapidatio rei domesticæ, defraudatio creditorum, aut quid simile, non est damnanda peccati mortalisi. *S. Th. q. 169, a. 2.*

4. De

7. 4. De Choréis utpote materia hodieum multūm delicate, & prō nimiūm usitata quid dicam? omnes universaliter præsertim inter personas ejusdem sexūs damnare non audeo, illas autem, quæ fiunt cum dispari sexu tempore præsertim nocturno cum liberiore juventutis concursu, approbare nequaquam possum ob plurima pericula & abusus plerumque intercurrentes, & gravissimas meritissimāsque sanctorum PP. Censuras. Audiatur unus pro omnibus S. Carol. Borrom. qui de iis sic ait: *Chorea mundana est circulus, cuius centrum est diabolus, circumferentia sunt angeli ejus & circumstantes.* Si tamen ob præsentiam Principis, parentum vel aliorum gravioris notæ hominum præcaverentur gestus, vester, tactus, actusque minus honesti aliisque venereæ delectationis pericula, omni culpâ carere possent; non enim de se sunt illicitæ, sed ex Choreizantium abusu, ergo, ubi abusus abest, non sunt condemnandæ, vel maximè, si purè fiant in ordine ad matrimonium vel conciliandam honestam amicitiam: & certè in privato colloquio diversi sexūs sœpè est majus periculum, quam in chorea publica, & tamen non est, qui omne tale colloquium improberet, sed satè est improbare & præcavere ejus abusum, ergo nec universaliter improbanda est omnis Chorea.

8. 5. Nulla ex causa, nequidem metu mortis, videtur licitum scribere vel scienter deferre literas sollicitantes ad libidinem, duellum vel aliud peccatum: ità communiter omnes post propositionem 51. ab Innoc. XI. damnatam: Ratio est: quia tales actiones videntur immediate & directè tendere ad peccatum, & sicut verba

verba sunt ipsa extēra sollicitatio ex suī institutiōne ad impetrandum consensum ordinata, sic & scriptura; profectō, si scienter apportare scalam, aperire januam, humeros submittere hero ad stuprandam virginem ascēdenti sit proximē & directē concurrere ad peccatum heri, cur non scribere aut portare litteras obscēnas vel similes? Dico obscēnas: nam litteras amatorias, petentes honestas nuptias & scribere & portare licebit.

6. Nec videtur licitum ferre munera ad ianum finem ex quacunque etiam causa, quia hoc est sollicitare, & per consequens proximē operari ad peccatum; neque poterit virgo talia munera liberē acceptare, quamvis etiam protestaretur se nolle consentire in peccatum, tamen acceptando munera illud reipsā foveret, dātque spem explendi aliquando desiderii. *Dixi liberē;* nam, si puerā metu mortis v. g. cogeretur acceptare talia dona, sciret offerens, se nunquam habiturum spem cum ea peccandi, ideoque ipsa non censembitur fovere peccatum. Oppositum est de portante munera aut litteras ad turpem fidem; nam, quamvis portans id faciat ex metu gravissimi mali, tamen ipsa portatio manet extēra sollicitatio, ideoque directa cooperatio ad peccatum, quod est intrinsecē malum.

7. Non est illicitum ex gravi causa cooperari alterius peccato remotē & materialiter, præbendo materiam de se bonam vel indifferentem, et halius eā prævideatur abusurus ad peccatum; sic enim ipse DEUS permittit divitias avaris, quos tamen scit iisdem esse abusuros ad sup-

P                      pres-

*R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.*

pressionem pauperum aliisque scelera. Ex eodem capite excusantur mercatores, qui, ne patientur notabilem lucri diminutionem, faciunt vel vendunt fucos muliebres, gladios, taxillos, chartifolia, etiamsi sciant emptores non tantum aliquos in genere (alioquin enim vix ullus rem tallem vendere posset) sed etiam aliquem in particuliari iis abusurum ad peccandum. Est communissima apud Nav. Sanch. l. 1. mor. c. 7. Dian. p. 3. t. 6. ref. 44. p. 5. t. 7. ref. 39.

11. *Dices* 1. Volenti se vel alium occidere non possum vendere gladium vel venenum.

2. Volenti fornicari non possum procurare scortum; ergo nec licet vendere vel procurare fucum muliebrem vel chartifolia, quibus quis scitur abusurus ad peccandum.

3. Non licet apportare scalam, humeros submittere ascensuro ad suprandam virginem, ergo nec vendere vel procurare ornatum muliebrem, quam fœmina intendit seducere adolescentes.

4. Saltem leve illud lucrum, quod quis habet ex tali venditione, non est causa sufficiens vendendi venenum, quo quis se vel alium intendit occidere. Responsio est difficultis, nihilominus

5. *Ad* 1. *N. aff.* nam, et si non ex qualibet, tamen ex gravissima causa, metu v. g. mortis licet vendere gladium, venenum, &c. quo quis certò creditur abusurus, quia in pari periculo major est habenda cura vitæ propriæ, quam alienæ.

*Ad* 2. *N. C.* Præsentia scorti ex se est induciva & irritativa ad Venerem, præsertim respectu hominis ad luxuriam dispositi, estque quasi extrema sollicitatio vel petitio, ut scortum conser-

sentiat & cooperetur in rem turpem, ergo eam procurare videtur proximè & directè concurrere ad libidinem; ideoque forsan nec metu mortis licitum; econtra ornatus vel fucus muliebris sunt res de se indifferens, quâ quis bene vel male uti potest.

*Ad 3. N. C.* apportare scalam, subdere humeros ascendentì ad stuprandam virginem in circumstantiis propositionis damnatae est proximè cooperari peccato; vendere autem vestes, ornamenta, &c. est tantùm cooperari remotè, quod ex justa causa licet, qualis est, si vendentes non uno, sed paulatim deberent carere pluribus emptoribus & notabili lucro. Unde patet *ad 4.* Nam quò majus est peccatum, quod timetur, & quò actio propinquius influit, eò major requiritur causa, ut quis ad illud etiam remotè cooperari possit, ideoque ad vendendum venenum, quo quis vult usi ad occidendum hominem, requiritur causa gravissima, ad alia & communia causa minus gravis v. g. notabilis lucri diminutio.

*8. Sanch. Laym. Tamb. Sporer n. 99.* excusant famulam (idem est de famulo) quæ ex officio famularū scienter subservit Dominæ forniciaturæ, eam ornando, vestiendo, ad amasium comitando, cibos coquendo, lectum sternendo, januam aperiendo, &c. Rationem dant; quia hæc tantùm remotè concurrunt ad peccatum; Sed si hæc omnia simul sumpta scienter facta remotè concurrant, cur non dicetur licetè concurrere famulus scalas apportans, januam aperiens, humeros hero ad stuprandam virginem ascendentì submittens? Quod tamen licere damnatum est, & certè non video, quomodo servus

per humeros deducens herum ad fenestram proximiū concurrat ad peccatum, quām famula januam aperiens, lectum sternens, ducens pellicera ad amasium, &c.

13. 9. Quāvis ex justa causa quis possit contrahere matrimonium cuī persona in peccato mortali constituta, ut habet *communis*, quia hoc est alterius peccatum ex causa permittere, non potest tamen contrahere cum habente votum castitatis; quia hoc esset acceptare personam Deo antecedenter obligatam, quod videtur injurium Deo & intrinsecè malum, nec Parochus potest ejusmodi matrimonio assistere, nisi ex gravissima causa, quia ex officio debet procurare, quantum potest, ut Sacraenta administrentur dignis.
14. 10. Parochus excommunicatus non toleratus, vel publicus percussor Clerici non potest extra extremam necessitatem licet administrare Sacraenta, ut dicam suo loco, ideoque extra talem necessitatem etiam Sacraenta ab eo peti non possunt, quia hoc esset petere aliquid quod alter sine peccato dare non potest, quod nunquam licet, quia esset petere peccatum: Potes tamen ex justa causa v. g. ut satisfacias communioni annuæ aut lucreris indulgentias, Sacraenta petere à Parocco excommunicato tolerato vel etiam concubinario, si aliis ad manum non sit: *Ratio* est, quia ex justa causa petis, quod alter potest & debet tibi dignè conferre; si ergo indignè conferat, sibi imputet.
15. 11. Si conjux voto castitatis obligata debitum petit, teneris ex charitate distriadere, si tamen non persuadeas, debitum reddere potes, quia utesis jure tuo; melius facis ipse petendo ac prævenien-

veniendo, sic enim ipsa jam obligata reddere amplius non peccabit.

12. Caupo recipiens scienter fures, usurarios, 15.  
meretrices cum probabili periculo, ne alii per eos patientur damnum vel scandalum, peccat mortaliter, quia eorum peccata fover; idem est, si quis usurario vel meretrici suam domum sine justa causa elocet, justa autem causa elocandi erit, si in civitate talis elocatio sit permissa, & aliis sine gravi damno elocari non possit.

13. In civitaribus, in quibus Catholici Hæretici permixti vivunt, potest caupo ex gravi, in urbe merè Catholica ex graviori causa vendere & apponere hospitibus id perentibus carnes aut similes cibos veritos. Quia hoc est tantum remotè cooperari ad alterius peccatum ex justa causa; justa autem causa videtur esse, si timeat hospites notabiliter minui, aut gravia verbera, rixas & contumelias; ex eodem capite excusantur, qui vinum vendunt illis, quos probabiliter putant seinebriatos, solum autem lucrum, quo carerent, si præcisè illud vinum non venderent, non videtur causa sufficiens. S. Th. 2. 2. q. 150.

a. 1. Idem est de artifice, qui servos habet aca- tholicos, quibus si in Quadragesima carnes non subministrer, pateretur aliquod murmur: Secùs si eum cum gravi damno desererent, eo quod similes è Catholicis habere non possit. Nunquam tamen licebit ad cibos prohibitos aut largiores haustus cum prudenti timore ebrietatis vel abusus provocare, quia hoc esset eorum pec- cata directè intendere, quod est intrinsecè ma- lum.

14. Catholicus inter Hæreticos habitans po- 16.  
test ex timore gravis damni, quale esset, si à

communi mercimonio & lucro cum notabili  
damno familiae excluderetur, Hæreticis arma,  
victualia, sarcinas advehere, cuniculos fodere,  
remigium ducere: Idem ex gravi metu verberum  
vel mortis licet captivis Christianis apud Turcas,  
tum quia id est tantum remotè cooperari, tum  
quia ejusmodi metus est sufficiens causa excusans;  
quod si tamen ejusmodi auxilia negando  
possent Christianos vel Catholicos magno per-  
iculo eripere vel viatoriam causare, obligaren-  
tur ex charitate vitam propriam postponere bo-  
no cummuni Reip. vel Ecclesiæ. *Nav. Mol.*  
*Laym. l. 2. t. 2. c. 13. n. 5.*

29. 15. Si hostis injustè occupet patriam, possunt  
priores officiales sua officia retinere animo impe-  
diendi malum inajus, & facilius restaurandi cau-  
sam justam, et si cogerentur injustum tributum  
exigere vel etiam solvere, nisi hæc cedant in  
majorem oppressionem legitimi Principis, Eccle-  
siæ vel Reip. *Ratio* est, quia nec legitimus  
Princeps nec subditi sunt inviti, si enim non  
sat per hos, fier per peiores ab hostibus substi-  
tutos. *Laym. L c. Spor. n. 105. La Croix n. 275.*  
Quod iidem etiam extendunt ad subscriptionem  
decreti de exigendo iniquo tributo, quod non  
videtur admittendum, eò quod subscribere tri-  
butum iniquo sit approbare & confirmare grave  
alterius peccatum, imò est reale mendacium;  
subscribens enim in facto testatur ejusmodi tri-  
butum esse justum, ideo enim exigitur subscrip-  
tio: Non tamen tenebitur ad restitutionem;  
quia, ut dictum est, Princeps & subditi non sunt  
inviti. *Vid. c. 27. n. 9.*

20. 16. Ex causa justa licet usurario aut injus-  
tum bellum gerenti pecunias mutuò dare, eun-  
dém-

démque in numerando , computando , transpor-  
tando juvare , quia haec omnia remotè se ha-  
bent ad peccatum usurarii , non tamen licet  
nomiae usurarii contractum usurarium inire,  
quia hic habet speciem rapinæ ; sicut ergo no-  
mine alterius non licet aliena rapere , sic nec inire  
contractum usurarium , nisi excuset extrema ne-  
cessitas , de qua alibi .

17. Excusantur , qui ex gravi causa , ad lu- 22.  
crandum v. g. panem , juvant ædificare vel re-  
staurare Synagogas Iudaorum vel tempora Hære-  
ticorum ; nam quamvis illa tempora serviant ad  
malum finem , scilicet cultum falsum , tamen  
ædificatio ad illud se habet remotè .

## EX

TRACTATU  
DE JURE ET JUSTITIA,  
CASUS XXI.

De Natura & divisione juris  
ac justitiae.

*A*mmon Princeps à Campsore suo sub pensione  
annua suscepit pecuniam . 6. Solutionem vel  
differt , vel omnino negat , sub prætextu communis  
necessitatis , ibid. quam tamen postea in usus privan-  
tos vel superfluos impendit , & quia Campso hic  
offensus debitam Principi reverentiam negat , séque  
communibus civium oneribus subtrahit , Princeps in